Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



99

stis: sed ego elegi uos. et posui uos ut eatis et fructum afferatis.
et fructus uester maneat: ut quecumque petieritis patrem in nomine
meo. det uobis. Sp. Johm.
Illo t. Dixit ie. dis. s. Hec mando uob: ut diligatis in uicem.
Si mundus uos odit: scitote quia me priorem uobis odio habuit. Si de mundo fuissetis: mundus quod suum erat diligeret. Qu
ia uero de mundo non estis: sed ego elegi uos de mundo: propter o
dio uos mundus. Memmote sermonis mei: quem ego dixi uobis.
Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt: et uos
persequentur. Si sermonem meum seruauerunt: et uestrum seruabunt.
Sed hec omnia facient uobis: propter nomen meum: quia nesciunt
eum qui me misit. Si non uenissem et locutus fuissem eis: peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato
suo. Qui me odit: et patrem meum odit. Si opera non fecissem in
eis que nemo alius fecit: peccatum non haberent. Nunc autem et uidi
erunt et oderunt et me et patrem meum: sed ut impleatur sermo
qui in lege eorum scriptus est: quia odio me habuerunt gratis.
Illo t. Facta est contentio Sp. lucam.
inter discipulos iesu: quis eorum uideretur esse maior. Dixit autem
eis. Reges gentium dominantur eorum: et qui potestatem
habent super eos. benefici uocantur. Uos autem non sic: sed qui maior est
in uobis. fiat sicut minor: et qui precessor est. sicut ministrator.
Nam quis maior est. qui recumbit an qui ministrat? Nonne qui
recumbit? Ego autem in medio uestrum sum: sicut qui ministrat. Uos
autem estis qui permansistis mecum in temptacionibus meis: et ego di
spono uobis sicut disposuit michi pater meus regnum: ut edatis et
bibatis super mensam meam in regno meo: et sedeatis super thronos.
iudicantes duodecim tribus israel. vnde scriptum est quod non fuit exp.
Esse. Testificor coram deo et xpo ad timothm.
iesu. qui iudicaturus est uiuos et mortuos. et aduentum ipsius
et regnum eius: predica uerbum: insta opportune im portune: argue: